

*Nimirum! Iberine tua casta est.* Casta est vxor, cui vnus sufficit maritus. Castus ergo maritus, cui vna sufficit mulier. Idem eodem loco v. 204. ita loquitur:

Si tibi *simplicitas vxoria*, deditus vni  
est animus.

Ad quae verba in eadem editione, quam modo citavi, elegantissime et probata, LVBINVS haec habet: *Vrsidio persuadere vult, vxorem ducendam non esse. Hoc vtitur dilemmate: Aut amabis a te ductam vxorem, aut non amabis. Si non amabis, causa nulla est, cur vxorem ducas. Si vero amabis, miser eris, et ab vxore tua misere torqueberis et excruciaris, si simplicitas vxoria, i. e. si simpliciter et omnino vniam coniugem vis amare.* Quis non videt, simplicitatem vxoriam, quae multiplicitati vxoriae opponitur, commode his verbis Pauli ita exponi posse: *μίας γυναίκος ἀνδρα εἶναι?* HORATIVS carminum lib. III. od. XIV. v. 5. castam mulierem eam esse affirmat, quae vnico gaudet marito. Castus itaque est maritus, qui vnica gaudet vxore, seu, vt Pauli vtar verbis, *ὅστις μίας γυναίκος ἀνὴρ ἐστὶ.* Sed nihil magis ad causam meam facere videtur, quam quae PLAVTVS in Mercatore act. IV. Scen. VI. v. 8. 9. habet.

Vxor contenta est, quae bona est, vno viro.  
Qui minus vir vna vxore contentus sit?

Num obscure, num coacte loqui me dixeris, si, Paulo praeeunte, graece haec ita reddidero:

Ἡ γυνὴ ἢ ἀγαθὴ ἓνος ἀνδρὸς γυνὴ ἐστὶ.  
ἀρὰ ἔν καὶ ἴον ἀνδρα μίας γυναίκος ἀνδρα δεῖ εἶναι.

Nonne vero verba etiam Pauli: *μίας γυναίκος ἀνὴρ* et *ἓνος ἀνδρὸς γυνὴ* ad loquendi morem, a Plauto adhibitum, latine ita reddi possent: *Vna contentus sit vxore: vno contenta marito.* Vides itaque, fieri omni posse modo, vt verba Pauli ea, qua diximus, ratione explicentur.

C

§. XII.